DE
QUIBUSDAM AUCTORIBUS ROMANIS,

QUOS

IN DESCRIBENDIS REBUS ANNORUM 68 ET 69 P. CH. N. GESTIS

TACITUS, PLUTARCHUS, SUETONIUS

SECUTI SUNT, AUT SECUTI ESSE VIDENTUR VEL DICUNTUR.

PROGRAMMA

QUO

PROFESSIONEM HISTORIAE ORDINARIAM AUSPICATURUS

AD

ORATIONEM

DIE XXVII. M. IUNII HORA XI

AUDIENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

(Wilhelm) Adolf

ADOLPHUS SCHMIDT

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

IENAE

TYPIS SCHREIBERI ET FIL.

MDCCCLX.

Ne putes, lector benevole, id esse consilium meum, ut quanti sint ponderis Taciti et Suetonii et Plutarchi narrationes in rebus ipsis enucleandis hic perpendere velim. Quod equidem alio loco perficere, in perducendo ad finem opere meo de primo Imperatorum Romanorum saeculo, cujus nonnisi tertia pars est liber inscriptus *„Geschichte der Denk- und Glaubensfreiheit im ersten Jahrhundert der Kaiserherrschaft und des Christenthums. Berlin* 1847", mihi jamdudum proposui. Quaedam tamen notationes, quae illuc pertinent, huic disputationi praemittendae esse mihi videntur.

Ante omnia observandum est, Tacitum in studiis suis historicis tres gradus perfectionis percurrisse. Primum, in vita Agricolae conficienda, fere omnino e traditionibus et sua ipsius notione rerum personarumque hausta, etsi haud dubie eximia admiratione digna est, nil tamen nisi *ingenium* excelsum et aptissimum ad *describendas res*, tam privatas quam publicas, aperire potuit. Deinde, quum Historias scripsit, una cum ingenio excelso summam probavit *diligentiam* in *perlustrandis auctoribus*, quos ante se easdem res descripsisse notum habuit. Denique vero, in Annalibus componendis, cum summo ingenio summaque diligentia summam quoque conjunxit *artem criticam*, non tantum rebus gestis *investigandis* et auctoribus alio cum alio *comparandis*, sed praesertim etiam *relationibus* quas dicunt *authenticas requirendis et uberrime adhibendis*. Etenim diversum omnino fuisse genus fontium, quod in hoc opere condendo primo loco admisit, ab iis quae antea admiserat, pro certo haberi potest. Annales, ut uno dicam verbo, pro maxima parte nonnisi excerpta sunt, et mirifice quidem composita, e fontibus quos hodie dicimus tabellaria *(archivalische Quellen)*, i. e. ex actis politicis, praecipue ex actis senatus *(Senatsprotokolle)* deprompta. Historiae contra, de quibus potissimum in disputatione nostra sermo erit, fere integrae ex *rerum auctoribus diversis* haustae sunt. Neque enim cum Hirzelio (Comparatio eorum, quae de Imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum, Suetonium, Dionem Cassium, instituta cum ad illorum scriptorum indolem, tum ad fontium, ex quibus hauserint, rationem pernoscendam. Stuttgartiae 1851. p. 42) consentire possum, qui *acta populi diurna*, de quibus ipse in Ephemeridibus meis scripsi *(„Das Staatszeitungswesen der Römer"* in *„Zeitschrift für Geschichtswissenschaft. T. I.* 1844"*)*, Historiarum Taciti fontem fuisse in *plurimis rebus* existimat; neque cum Wiedemanno (De Tacito, Suetonio, Plutarcho, Cassio Dione, scriptoribus imperatorum Galbae et Othonis. Berolini 1857. p. 50 sqq.), qui eum e *tribus tantummodo scriptoribus*, Plinio, Cluvio Rufo, Vipstano Messala, historiarum *summam* transscripsisse, quinimmo uno Plinio fere solo usum esse contendit.

Suetonius, ingenii longe minoris, in vitis Caesarum eadem certe diligentia, qua Tacitus, non vero eadem critica ratione arteque usus est. Fontes eum nihilominus adhibuisse gravissimos constat, cum, praeter traditiones et auctores, diversa quoque tabularia diligenter perlustraverit, praesertim acta principum secreta, quae diutissime in officio suo ad manum habuit.

Plutarchus postremo, qui, procul a negotiis et ab ipso rerum spectaculo, in recessu suo patrio Chaeronensi Vitas Imperatorum conscripsit, ne potestatem quidem habuit ullam, rerum notionem aliunde sibi comparandi, quam ex auctorum libris editis, quorum magnam copiam in bibliotheca sua collegisse videtur.

Unde jam satis liquet, rerum annis 68 et 69 p. Ch. n. gestarum narrationem, qualis hodie exstat, maxima ex parte non tam e monumentis publicis et authenticis, quam ex libris privatim scriptis atque editis, deduci posse. Quare non inane opus adgredimur, cum in disputatione nostra, traditionum actorumque sive tabulariorum quaestione omissa, solum de *auctoribus* agemus, quos Tacitus, Suetonius et Plutarchus aut certe adhibuerunt, aut adhibuisse videntur vel dicuntur. Imo et ita circumscriptum propositum tantis eget spatiis, ut ne id quidem consequi, sed prosequi tantum hoc loco possimus. Haec sunt, quae praeludere habeo.

Permagnum fuisse eorum numerum, qui de bellis civilibus sub Nerone ortis scripserint, testatur Josephus: *πάντα ταῦτα διεξιέναι μὲν ἐπ᾽ ἀκριβὲς παρῃτησάμην, ἐπειδὴ δι᾽ ὄχλου πᾶσίν ἐστι, καὶ πολλοῖς Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων ἀναγέγραπται* (bell. jud. IV. 9, 2 cf. 8, 1). Confecit autem Josephus opus suum de bello judaïco Vespasiano regnante, ut liquet ex ejus vita c. 65 et libro primo contra Apion. c. 7. Contra Tacitus sub Trajano demum illius aevi historiae conscribendae operam dedit, ita ut copiam auctorum, quos ipse adire potuerit, valde majorem ea fuisse, quam Josephus innuit, jure suspicari liceat. Plutarchus denique et Suetonius imperatorum vitas non nisi post Tacitum narraverunt. Constat igitur, unumquemque horum trium historicorum multos auctores consulere *potuisse;* multosque reapse se consuluisse, ipsi indicant. Videas exempli causa Taciti Hist. I. 41; II. 37: invenio apud quosdam auctores; c. 101: scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli hujusce composuerunt ... tradidere; III. 29: inter omnes auctores constat; c. 51: celeberrimos auctores habeo; etc. Cf. Plut. Galb. c. 14: *ὥς φασιν ἔνιοι;* c. 19; c. 27: *ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσι ... ἔνιοι δὲ —, οἱ δὲ — οἱ δὲ — ἱστοροῦσιν;* etc. etc. Suet. Galb. c. 3: quidam putant . . . alii . . . nonnulli; c. 20: sunt qui tradant ... plures autem prodiderunt; Oth. c. 9: ut multi — opinantur; etc. etc. Ipsa auctorum nomina plerumque omissa sunt; laudantur apud Tacitum nonnisi Plinius major (Ann. XIII. 20, XV. 53, Hist. III. 28), Vipstanus Messala (Hist. III. 25. 28), Fabius Rusticus (Ann. XIII. 20, XIV. 2, XV. 61. cf. Agric. c. 10) et Cluvius Rufus (Ann. XIII. 20, XIV. 2); Plutarchus unum Cluvium Rufum affert (Oth. c. 3, cf. Quaest. Rom. p. 289. Tom. VII p. 163 ed. Reisk.); Suetonius denique Quintum Eulogium citat et Cassium Severum (Vitell. c. 1. 2).

Revera igitur *perpauci* sunt auctores, quos ipsi nostri historici nominant, cum permultos ab iis consuli potuisse consultosque fuisse satis constet. Unde quaestio oriatur necesse est, quos *alios* praeter illos admiserint: neque dubium est, quin exempli causa in hoc judicium trahi possint Suetonius Paullinus, Licinius Mucianus, Asconius Pedianus, Julius Secundus, Junius Rusticus, Herennius Senecio, Cajus Fannius, Titinius Capito, Aquilius Regulus, Hermogenes Tarsensis, Pompejus Saturninus et Pompejus Planta,

quos inter rerum illius aevi gestarum auctores hodie referunt. Attamen nostra via non tam longa erit.

Primum jam de scriptoribus nominatim apud Nostros laudatis quaedam exponemus, exceptis Plinio majori et Vipstano Messala, quippe qui tantae auctoritatis sint, ut ad eos solos plene pertractandos singulari dissertatione opus fuerit. *Deinde* vero inquiremus, utrum praeter istos, ne nimium seriem extendam, Suetonius quoque Paullinus et Licinius Mucianus Nostrorum fontes fuerint, nec ne.

De *Eulogio*, ut ab eo incipiamus, nihil sane constat, nisi quod ex ipsius Suetonii verbis petere licet. Exstat, inquit (Vit. c. 1), Q. Eulogii ad Q. Vitellium, Divi Augusti Quaestorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, et Vitellia, quae multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperasse: horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam, atque inter patricios allectam: indicia stirpis mansisse diu, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque; item coloniam ejusdem nominis, quam gentili copia adversus Aequiculos tutandam olim depoposcissent: tempore deinde Samnitici belli, praesidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriae; eorumque progeniem longo post intervallo repetisse Urbem atque ordinem senatorium. — Erat igitur procul dubio Eulogius Quinti Vitellii libertus, ejusque libellus nihil aliud, nisi scriptum genealogicum de Vitelliorum gente. Non raro tunc temporis libertos in patronorum gratiam talia confecisse, satis cuique notum est. Ceterum cum jam Augusto regnante ille vixerit, libellus ejus ad res Vitellii imperatoris ipsas enucleandas Suetonio nihil suppeditare potuit. Lectio quidem *Q. Eulogii* nonnisi est conjectura Casauboni, sed plerisque jure comprobata, pro vulgata: *exstatque elogii* vel *elogi*. Etiam non inauditum est nomen; exstitit exempli gratia Leone Isauro imperante Eulogius quidam, qui martyrium aequalium suorum scripsit.

Cassius Severus, cujus fata exposui in libro supra laudato (*Gesch. d. Denk- u. Glaubensfreiheit* etc. p. 46 sq., p. 59 sq.), temporibus Augusti Tiberiique notissimus fuit orator, quem primum flexisse a vetere atque directa dicendi via antiquorum admiratores tempore Vespasiani affirmarunt. Auctor dialogi de oratoribus contendit (c. 19), non infirmitate eum ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad novum dicendi genus, sed judicio et intellectu; vidisse enim, cum conditione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Tacitus tradit (Ann. I. 72), Cassium Severum viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamasse, qua libidine commotus primus Augustus cognitionem de famosis libellis tractaverit. Quare et Messala in dialogo laudato c. 26: Equidem, ait, non negaverim, Cassium Severum, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum suorum plus vis (legere malim cum Luenemanno „viri“) habeat, quam sanguinis; primus enim contemto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam, quibus utitur, armis incompositus et studio feriendi plerumque dejectus, non pugnat, sed rixatur; ceterum, sequentibus comparatus, et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat. Quintilianus ei acerbitatem vindicat (XII. 10, 11. cf. X. 1, 22). De exitu ejus Tiberio imperante sic loquitur Tacitus (Ann. IV. 21): Relatum de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per im-

modicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat; atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus interdicto igni atque aqua saxo Seripho consenuit.

Historicum opus, i. e. res Romanorum gestas tractans, Cassius Severus certe non condidit. Quod enim Suetonius (Vitell. c. 2) ex eo affert, auctorem generis Vitelliorum libertinum fuisse et sutorem veteramentarium, cujus filius, sectionibus et cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia, Equitem Romanum genuerit, — ex iisdem sine dubio scriptis procacibus depromptum est, de quibus Tacitum audivimus. Quae quidem antea senatus consultis abolita, imperator Cajus Caligula requiri, et esse in manibus lectitarique permisit, quando maxime sua interesset, ut facta quaeque posteris traderentur (Suet. Calig. c. 16), ita ut in Suetonii quoque manibus versari potuerint (cf. Suet. Aug. c. 56. de ill. Gramm. 22).

Fabius Rusticus amicus erat Senecae, cujus ad laudes eum inclinasse dicit Tac. Ann. XIII. 20. Temporibus igitur Claudii ac Neronis floruit; quo tempore mortuus sit, non constat. Historiam scripsit sui temporis, uberrime sane et accuratissime et elegantissime. De Neronis principatu saepius eum laudat Tacitus, unde fragmenta quaedam haud spernenda eruuntur. Primum de anno 56 p. Ch. Ann. XIII. 20: Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos mandata ei praetoriarum cohortium cura: sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Deinde ad annum 60. Ann. XIV. 2, quem locum postea recensebimus. Denique ad annum 66. Ann. XV. 61: Tradit Fabius Rusticus non eo, quo venerat, itinere reditum (scil. a tribuno jam antea ad Senecam misso, nunc autem regredi et indicere mortem jusso), sed flexisse ad Fenium praefectum et expositis Caesaris jussis, an obtemperaret, interrogavisse, monitumque ab eo, ut exsequeretur. — Jam in Agricolae vita exaranda in judicium eum vocaverat c. 10. Ibi eum nominat *recentem* auctorem, Livium autem *veterem*. Igitur, quum vita illa anno demum 98 p. Ch. conscripta sit, satis probabile videtur, Fabium historias suas nonnisi Flavia domo rerum potiente edidisse. At propius etiam accedere licet. Fabius non aliter ac Livius Britanniae formam oblongae scutulae vel bipenni assimulaverat. Quod falsum esse, expeditio ab Agricola in Britanniam circa annum 78 p. Ch. suscepta satis demonstravit; tunc enim primum classis Romana non tantum incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit, sed Caledoniae etiam oram circumvecta, hoc insulae spatium velut in cuneum tenuari affirmavit. Itaque Fabius, quippe qui haec nondum comperta habuerit, regnante Vespasiano, et quidem ante annum 78 p. Ch. opus suum scripserit necesse est. Ceterum procul dubio videtur, quin veterem illam de Britanniae forma opinionem protulerit in rebus anni Neronis septimi (61 p. Ch.) contexendis, quo insulae ejus incolae, injurias praefectorum non ferentes, duce Boudicca regina arma ceperant, et legione Romana concisa colonias Camulodunum, Verulamium, Londinium diruerant. Plinio autem vixdum sane temporis erat satis relictum, ut in historiae suae naturalis librum quartum, quem circa annum 78 ipsum edidisse patet, nova ista inventa, praesertim Orcadum notitiam insereret (vid. c. 16).

Quousque Fabius, ut ad eum revertar, in rebus Romanorum conscribendis pervenerit, pro certo non possum dicere. Inde saltem nihil est eliciendum, quod Tacitus eum in Historiarum reliquiis non nominat, quum hoc

opere antea scripto fontes suos nonnisi rarissime indicet; nam criticam, quam dicunt, methodum serius demum Tacitus, ut jam dixi, amplexus est, id est in Annalibus suis componendis, in quibus hic exstatlocus (XIII. 20): „Nos consensum auctorum secuti, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.“ Nihilominus mihi quidem persuasum habeo, bella civilia Fabium non attigisse, idque praesertim eam ob causam, quod, magnas in re publica partes ipse certe non gerens, amicum maximas gerentem, Senecam, cujus favore praecipue rerum politicarum cognitio ei fuerit comparanda, regnante Nerone jam perdidit.

Notissimus est locus ille Quintiliani (X. 1, 104), quo de historicis romanis locutus, nominatim de Livio, Sallustio, Servilio Noniano et Aufidio Basso, haec verba addit: „Superest adhuc, et exornat aetatis nostrae gloriam, vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur.“ Sunt qui haec ad Tacitum referunt; non apte, quum libros de institutione oratoria Quintilianus tempore Domitiani in lucem miserit, quo Tacitus nondum quicquam historici ediderat. Alii spectare volunt verba ad Quintum Curtium, alii ad Vipstanum Messalam: quod utrumque certissime falsum est. Potius aut Arulenus Rusticus, aut Herennius Senecio animo obversari possit. At maxime probabile videtur, Fabium indicari Rusticum. Fabius enim, quippe qui Senecae fuerit amicus, necesse est, eadem fere fuerit aetate, qua hic; ita ut eo tempore, quo ista Quintilianus scripserit verba, Fabius senex fuerit circiter nonagenarius. Cum qua ejus senectute optime congruit istud: *Superest adhuc.* Imo etiam Tacitus in eo cum Quintiliani laudibus consentit, quod Fabium recentium auctorum eloquentissimum dicit (Agric. c. 10). Ut vero Arulenus Rusticus et Herennius Senecio Paeto Thrasea et Prisco Helvidio laudandis Domitiano regnante mortem sibi conciliarunt: ita et Fabium eodem Thrasea laudando et Nerone quam maxime castigando iisdem temporibus pericula subiisse nequaquam possit mirum videri. Quare Quintilianus eum mavult intelligi, quam nominari. Verba, quae ille subjicit, non ad eundem, sed ad Cremutium Cordum referenda esse docuit Nipperdeius (Philolog. 1851 p. 139 sq.). Atque adeo Fabii memoriam, ejus libertatem et pericula causas potissimum fuisse puto, cur Cremutii quoque, historicae libertatis martyris, hoc loco Quintilianus meminerit.

Cluvius Rufus, Claudio imperante, Consul fuit suffectus anno 45 p. Ch. n. cum Pompejo Silvano, uti patet ex ejusdem imperatoris epistola apud Josephum (Antiqq. XX. c. 1 §. 2 fin.): etiam Suetonius (Ner. 21) et Cassius Dio (ap. Xiph. 63, 14) Consularem eum nominant. Nero, si fides est auctoribus tribuenda, quotiescunque praeconio opus fuit, Cluvio Rufo usus est (Suet. l. c. Nioben se cantaturum per Cl. Ruf. consularem pronuntiavit. Dio l. c. *ἠγωνίσατο δὲ ἐν πάσῃ ὁμοίως πόλει, ἀγῶνα ἐχούσῃ, κήρυκι πρὸς πάντα τὰ κηρύξεως δεόμενα Κλουβίῳ Ῥούφῳ ἀνδρὶ ὑπατευκότι χρησάμενος . . . . τὸ δὲ δὴ κήρυγμα ἦν, „Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ στεφανοῖ τόν τε τῶν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν ἰδίαν οἰκουμένην.*“). Anno 68 p. Ch., quo Nero occisus est, Tarraconensi provinciae praepositum eum invenimus (Tac. Hist. I. 8. cf. IV. 39), a Galba sine dubio, quippe qui ipse ad hoc usque tempus eam administraverit, ei oblatae. Galba vero trucidato, non dubium est, quin primo nuntio in Othonem juraverit, quia hic eum per edictum laudavit (Tac. Hist. I. 76); statim tamen ad Vitellium conversus (l. c.), auctor fuit, ut partibus ejus utraque Mauretania, interfecto procuratore Al-

bino, accesserit (Tac. Hist. II. 58 sq.). Nihilominus Hilarius Caesaris libertus eum detulerat, tanquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum tentasset eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset. Quamobrem Cluvius Rufus omissa Hispania, ut criminationibus obviam iret, circa Lugdunum Vitellium assecutus est: auctoritas ejus praevaluit, ita ut puniri libertum suum imperator ultro juberet (Tac. Hist. II. 65). Deinde Vespasiani videtur partes fovisse; namque Flavius Sabinus, Vespasiani frater, Urbi praefectus, crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque armis per conditionem agitavit: postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere: verba autem vocesque, ut Tacitus affirmat (Hist. III. 65), duos testes habebant, ipsum *Cluvium Rufum* et Silium Italicum.

Saepius laudantur ejus virtutes artesque. Ipse Helvidius Priscus, Paeti Thraseae gener, cujus e moribus nihil aeque ac libertatem hausit, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus, primo Vespasiani anno in senatu Cluvium dixit perinde divitem et eloquentia clarum nulli unquam sub Nerone periculum facessisse (Tac. Hist. IV. 43). Tacitus eum appellat virum facundum et pacis artibus expertum (Hist. I. 8). Scripsisse eum constat historiam sui temporis; at quod rerum spatium opus amplexum, aut quibus terminis constitutum fuerit, nusquam traditur. Pro certo id tantum affirmare possumus, Neronis principatum et Galbae Othonisque in eo fuisse descriptum; nam de tempore Neronis Cluvium iterum laudat Tacitus (Ann. XIII. 20, XIV. 2), de Othonis autem imperio semel Plutarchus (Oth. c. 3; cf. Suet. Oth. 7, cujus verba: „ut quidam tradiderunt“ ad eundem respiciunt). Idem erui potest e Plinii epistola 19 libri IX, unde constat eum Verginii Rufi res gestas tractasse, cujus partes per eos potissimum annos maximae fuerunt, quibus bella civilia gesta sunt. Vitellii principatum Cluvius enarasse non videtur; id enim colligo e Taciti lib. III Historiarum c. 65 sq., unde patet, saltem de ultimis Vitellii temporibus nihil potuisse ex ejus opere ad res ipsas enucleandas desumi.

Magna cum fide Cluvium historiam scripsisse, et fragmenta et auctores laudati testantur. Tacitus ei utroque loco plus tribuit fidei, quam Fabio Rustico. Ad annum 56 p. Ch.: „Fabius, inquit, Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos mandata ei praetoriorum cohortium cura: sed ope Senecae dignationem Burro retentam. Plinius et *Cluvius* nihil dubitatum de fide praefecti referunt. Sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cujus amicitia floruit.“ Ad annum autem 60: „Tradit *Cluvius* ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam; jamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petivisse: immissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret, pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae, sed Neroni cupitum id memorat ejusdemque libertae astu disjectum; sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere et fama huc inclinat.“ Plinius l. c. narrat, *Cluvium* Rufum cum Verginio Rufo ita aliquando loquutum: „Scis, Vergini, quae historiae fides debeatur: proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo igno-

scas." Ad hoc sic ille respondit: „Tune, Cluvi, ignoras, ideo me fecisse, quod feci, ut esset liberum vobis scribere, quae libuisset?" Unde jam satis patet, ad Cluvium potissimum illa quoque spectare Plinii verba in prima libri II epistola, quibus Verginium dicit legisse scriptas de se historias.

Perpauci historici historicas partes ipsi gesserunt tantas, quantas gessit *Suetonius Paullinus*. Anno 42 p. Ch. Claudio II et C. Largo Coss. propraetor Numidiam rexit, Maurosque iterum bellum moventes, regione eorum usque ad Atlantem populata, oppressit (vid. Dion. Cass. 60, 9). Plinius eum dicit (H. N. V. 1) primum Romanorum ducum transgressum quoque Atlantem esse aliquot millium spatio. Anno 61 Caesonio Paeto et Petronio Turpiliano Coss. missus est in Britanniam legatus; Monam insulam aggressus cum exercitu, in potestatem Romanorum redegit; interea autem Britanni armis captis et duce Boudicca regina gravem Romanis cladem paraverant. Paullinus vero mox reversus insigni victoria rebelles profligavit, sed quominus bellum conficeret, adventu Petronii Turpiliani successoris prohibitus est, qui otium quam bellum maluit (vid. Tac. Ann. XIV. 29—37. Agr. 5. 14). Anno 66 Consulatum obtinuit cum L. Pontio Telesino (Tac. Ann. XVI. 14. Plin. H. N. l. c.: quem Consulem vidimus). Anno 69, Othone rerum potiente, dux fuit Othonianorum cum Mario Celso et Annio Gallo (Tac. Hist. I. 87); eo potissimum usum fuisse in consiliis militiae Othonem credunt (Hist. I. 90). Belli initio ipsius et Celsi ductu res egregie gestae (Ib. II. 23 sqq.). Cunctator erat natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent (l. c. 25). Othone de proelio ad Bedriacum committendo consultante, Suetonius Paullinus „trahi bellum censuit, festinationem hostibus fore, moram ipsis utilem; paucis diebus quartamdecumam legionem magna ipsam fama cum Moesiacis copiis adfore: tum rursus deliberaturum et, si pugna placuisset, auctis viribus certaturos (l. c. 31 sq.)." Attamen Otho ipse pronus ad decertandum, ita ut pugnari placitum sit. Othonianis victis in castra Paullinus non rediit (II. 44), posteaque apud Vitellium, sicut traditur, ultro sibi proditionem imputavit, spatium longi ante proelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae assignans (II. 60). Quare et Tacitus eum necessariis magis defensionibus quam *honestis* usum esse dicit.

De historicis ejus studiis quod dicam, non multum habeo. Videtur quidem res suas in Numidia gestas conscripsisse, teste Plinio (l. c. Suetonius Paullinus ... *prodidit* de excelsitate quidem ejus [scil. Atlantis] etc.). Nusquam vero indicatur, eum res quoque in Britannia a se gestas, aut historiam sui temporis, aut vitas Imperatorum, nominatim Galbae vel Othonis vel Vitellii confecisse. Imo videlicet Tacitum in consiliis ejus explicandis tali dicendi ratione uti, qualem certe non adhiberet, si suas ipse partes in bellis civilibus exercitas scripto consignasset Paullinus. Illi profecto, qui eum vitae Othonis auctorem credunt, duplici gravissimo errori sese implicaverunt: primum enim Suetonium Paullinum cum Suetonio Leni, Suetonii Tranquilli patre, confuderunt; deinde vero narrationes ore factas pro scriptis acceperunt. Ipse Suetonius Tranquillus eo loco, unde profluit error, nihil aliud refert, nisi haec (Oth. c. 10): „Interfuit hoc bello (Othonem inter et Vitellium facto) pater meus Suetonius *Lenis*, tertiae decimae legionis tribunus angusticlavius. Is mox referre *crebro* solebat, Othonem etiam privatum usque adeo detestatum civilia arma, ut, memorante quodam inter

epulas de Cassii Brutique exitu, cohorruerit etc. etc." Quibus verbis aperte omnino indicantur narrationes, quae *ore* fiebant. Ceterum Suetonius Paullinus scriptum suum de rebus Numidicis ante jam composuisse videtur, quam consulatum cum Telesino inivit. Quod equidem ut credam ratione moveor, qua Plinius l. c. hujus honoris mentionem facit.

M. quoque *Licinium Crassum Mucianum* inter ejusdem aevi historicos ab omnibus referri notum est: utrum jure an falso, statim videbimus. E Taciti historiis sibi quisque compertum habet, Mucianum a Nerone Syriam obtinuisse cum quatuor legionibus, et deinde Vespasianum cohortatum esse ad imperium capessendum; Romam praemissus ad opprimendum Vitellium, oppressum jam eum invenit ab Antonio Primo Illyrici exercitus duce, Flavianas partes sine ulla mora amplexo; res tamen turbatas Romae pacavit una cum Vespasiani filio altero, Domitiano. Exinde tanquam imperii consortem se gessit. Studiis eum inserviisse et Tacitus indicat, ni fallor, cum eum malis *bonisque artibus* mixtum dicit. Attamen opus ejus, quod historicum habent, mihi quidem videtur geographicum fuisse, quo Syriae vel Asiae naturam descripserit et cum aliis regionibus comparaverit. Hoc enim innuunt quaecunque ex eo Plinius affert. Vid. Hist. Nat. III. 5 (9): A Circejis palus Pomptina est, quem locum XXXIII urbium fuisse Mucianus ter consul prodidit. VII, 4 (3): Lic. Mucian. prodidit, visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusae fuisset; nupsisse etiam, mox barbam et virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Ejusdem sortis et Smyrnae puerum a se visum. VIII. 3 (3): Mucianus ter consul auctor est, aliquem ex his (sc. elephantis) et litterarum ductus Graecarum didicisse, solitumque praescribere ejus linguae verbis „Ipse ego haec scripsi, et spolia Celtica dicavi." Itemque se vidente Puteolis, cum advecti e nave egredi cogerentur, territos spatio pontis procul a continente porrecti, ut sese longinquitatis aestimatione fallerent, aversos retrorsus iisse. 50 (76): Solertiam ejus animalis (sc. caprae) Mucianus visam sibi prodidit in ponte praetenui, duabus obviis e diverso: quum circumactum angustiae non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam. 54 (80): Mucianus et latrunculis lusisse (sc. simias tradit), fictas cera icones usu distinguente. Luna cava tristes esse, quibus in eo genere cauda sit, novam exsultatione adorare. IX. 8 (10): Quae de eodem genere piscandi in Jassio sinu Mucianus tradit, hoc differunt, quod ultro, neque inclamati praesto sint, partesque e manibus accipiant, et suum quaeque cymba e delphinis socium habeat, quamvis noctu, et ad faces. 18 (31): Mullum LXXX librarum in mari Rubro captum Lic. Mucianus prodidit. 25 (41): Mucianus muricem esse, latiorem purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte, sed simplice concha, utroque latere sese colligente: quibus inhaerentibus, plenam ventis stetisse navem, portantem a Periandro, ut castrarentur nobiles pueri: conchasque, quae id praestiterint, apud Gnidiorum Venerem coli. XII. 1 (5): Nunc est (sc. platanus) clara in Lycia gelidi fontis socia amoenitate, itineri adposita, domicilii modo, cava LXXX atque unius pedum specu, nemorosa vertice, et se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinet umbris: ac nequid desit speluncae imagini, saxeae intus crepidinis corona muscosos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licin. Mucianus ter Consul, et nuper provinciae ejus Legatus, prodendum etiam posteris putarit;

epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite: large ipsa toros praebente fronde, ab omni adflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, laetiorem, quam marmorum nitore, picturae varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem. XXXI. 2 (13): Mucianus (ait) Andri e fonte Liberi Patris, statis diebus septenis ejus Dei vinum fluere, si auferatur a conspectu templi, sapore in aquam transeunte (cf. II. 103 [106]). 16: Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credit. IV. 12 (22): Delos . . . sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem, Mucianus prodidit bis concussam. Ibid.: Syros quam circuitu patere viginti millia pass. prodidere veteres, Mucianus centum sexaginta. IV. 12 (24): Circuitu vero totius Ponti vicies semel centena quinquaginta M. ut auctor est Varro, et fere veteres. Nepos Cornelius trecenta millia quinquaginta adjicit. Artemidorus vicies novies centena XIX. M. facit: Agrippa XXIV. sexaginta mill. Mucianus XXIV. XXV mill. V. 9 (9): Inter Arsinoïten ac Memphiten lacus fuit, circuitu CCL. M. passuum: aut, ut Mucianus tradit, CCCCL. M. et altitudinis quinquaginta passuum, manu factus: a rege, qui fecerat, Moeridis adpellatus. 24 (20): Oritur (Euphrates) in praefectura Armeniae majoris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proxime viderant, Domitius Corbulo, in monte Aba: Licinius Mucianus sub radicibus montis, quem Capoten adpellant, supra Zimaram, XII. M. pass. initio Pyxirates nominatus. 31 (34): In Phoenicio mari est ante Joppen Paria, ... et jam dicta Arados: inter quam et continentem, quinquaginta cubita alto mari, ut auctor est Mucianus, e fonte dulcis aqua, tubo coriis facto, usque a vado trahitur. 31 (36): Distat (Rhodos) ab Alexandria Aegypti DLXXVIII. mill. ut Isidorus tradit: ut Eratosthenes CCCCLXIX. mill.: ut Mucianus D, a Cypro CLXVI. — VII. 48 (49): In Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, CL annis vivere, Mucianus auctor est. Totidem annos censum Claudii Caesaris Censura T. Fullonium Bononiensem. IX. 30 (49): Navigeram similitudinem et aliam in Propontide visam sibi prodidit Mucianus: concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauplium, animal sepiae simile, ludendi societate sola. Duobus hoc fieri generibus: tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferire, ut remis. Si vero flatus invitet, easdem in usu gubernaculi porrigi, pandique buccarum sinus aurae. Hujus voluptatem esse, ut ferat: illius, ut regat: simulque eam descendere in duo sensu carentia: nisi forte tristi (id enim constat) omine navigantium, humana calamitas in causa est. IX. 59 (85): Ferunt discordem socium (sc. piscatoris; agitur de anthiarum captura apud Chelidonias insulas) duci (sc. pisci conciliatori, qui ceteros adducit) insidiatum pulcre noto, cepisseque malefica voluntate: agnitum in macello a socio, cujus injuria erat: et damni formulam editam, condemnatumque addidit Mucianus aestimata lite. XIII. 13 (27): Praeterea Mucianus ter Consul prodidit, nuper se legisse, quum praesideret Lyciae, Sarpedonis a Troja scriptam in quodam templo epistolae chartam. XI. 37 (63): Zanclen Samothracenum, cui renati essent (scil. dentes) post centum et quatuor annos, Mucianus visum a se prodidit. XXXII. 6 (21): Haec sint dicta de corpore (scil. ostreorum). Dicemus et de nationibus, ne fraudentur gloria sua litora: sed dicemus *aliena lingua*, *quaeque peritissima hujus censurae in nostro aevo fuit*. Sunt ergo *Muciani* verba, quae subjiciam: „Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Medulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, te-

neriora Istricis, candidiora Circejensibus." XXXVI. 18 (29): Theophrastus et Mucianus, esse aliquos lapides, qui pariant, credunt. XIV. 3 (6) de vino Maroneo, in Thraciae maritima parte genito: Quippe quum Mucianus, ter Consul, ex his, qui nuperrime prodidere, sextarios singulos octogenis aquae misceri compererit praesens in eo tractu. XVI. 40 (79) de simulacro Ephesiae Dianae: Ceteri ex ebeno esse tradunt; Mucianus, ter Consul, ex his, qui proxime viso eo scripsere, vitigineum, et numquam mutatum septies restituto templo. XXI. 6 (17) de croco: Mucianus auctor est, in Lycia anno septimo aut octavo transferri in locum subactum, atque ita degenerans renovari. XXXIV. 7 (17): Rhodi etiamnum tria millia signorum esse, Mucianus ter Consul prodidit. XXXVI. 17 (27): In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat . . . Mucianus specula quoque, et strigiles, et vestes, et calciamenta illata mortuis lapidea fieri, auctor est.

Haec sunt quae in Plinii libris repperi Muciani fragmenta (cf. etiam XIX. 1 (2, 2). XXVIII. 2 (5). XXXV. 12 (46), unde tamen nulla erui possunt fragmenta). Satis, ni fallor, docent, opus ejus nequaquam fuisse historicum sensu politico, sed ut dixi geographicum sive historicum naturale, itaque tale omnino, quale ille condidit auctor, qui tot ex eo deprompsit: Plinium dico. Jam igitur Muciani nomen censeo e historicorum istius aevi numero plane esse exstinguendum. Primus videtur in errorem incidisse Vossius (de hist. lat. I. 27 p. 140 sq.), quem postea multi alii, sicut Baehrius *(Röm. Literaturgesch.* p. 333. cf. ed. 3. II. 172), Boetticherus (Lex. Tacit. p. XXI), Krausius (de Suetonii fontib. p. 68), secuti sunt. Unde fit, ut Mucianum saepius, nimirum praeter omne jus, tum Suetonii tum Taciti fontibus adscribant. Ceterum neque ante neque post Vespasiani imperium opus ejus in lucem prodiisse eam ob causam pro certo affirmari potest, quod Plinius, quippe qui anno 79 p. Ch. n. perierit, historiam suam naturalem ultimis Vespasiani annis maxima saltem ex parte juris publici fecit, ibique Mucianum *ter* Consulem et *nuperrime* ista prodidisse dictitat. Igitur Mucianus opus suum ediderit sub ipso Vespasiano inter ann. 75 et 78 p. Ch. n. necesse est.

Praeterea sane et alium sibi Mucianus injunxit laborem litteratum, quem hac occasione silentio praetermittere non licet, quamvis a priori illo valde sit dissimilis. Nempe in dialogo de oratoribus Julius Secundus ita loquitur: „Nescio an venerint in manus vestras *haec vetera, quae* et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent, et cum maxime *a Muciano contrahuntur:* ac jam *undecim*, ut opinor, *Actorum libris*, et *tribus Epistolarum composita et edita sunt* (c. 37)." Hoc erat corpus tanquam diplomaticum, quo continebantur, praeter epistolas separatim collectas, veteres orationes temporibus reipublicae habitas, ut e. g. Pompeji et Crassi orationes (vid. l. c.). Ergo *Actorum* illi libri nihil profecto sunt aliud, nisi actorum *forensium* collectio: mirum quantum a vero nonnulli aberrarunt viri docti, cum ea ad diversi plane generis acta, verbi causa senatus aut populi referenda censuerunt. Constat et hanc quoque collectionem Vespasiano imperante factam esse, quum dialogus de oratoribus sexto ejus principis anno habitus sit (vid. c. 1 et c. 17).

Jam vero satis est. Etenim terminos attigi, quibus, cum totam rem hic absolvere nequeam, disputationis cursum in exordio circumscripsi.